



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 125. Rupellani huic juramento obsistentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A. C. 1568

„ad Deum indefinenter pro ipsius Re-
„gis, Matris Reginae, suorumque fra-
„trum salute, & securitate facturos.
„omni autem suppliciorum, ac poen-
„arum rigori se ultro subjecturos, si cul-
„pa sua quid turbatum in hac urbe,
„nomine urbis expresso, contigerit, ad
„cujus defensionem vitam, fortunasque
„omnes impensuri sint, ac veram item
„cum Catholicis, ac sinceram amicitiam
„conservaturi.

§. CXXV.

Rupellani huic juramento obfistentes.

Hæc formula præprimis ad Jarnacium
Comitem Rupellæ Governatorem
die trigesima prima fuit transmissa, ad-
dito mandato, ut Rupellanos ad hoc
Sacramentum adigeret, indeque notum
fieret, quoniam Regno bene affecti ob-
fentes: verum eorum potissimi se hoc ju-
rejurando obstringere recusabant, co-
piasque, quas Jarnacius Comes immit-
tere volebat, in urbem recipere renue-
bant: ex horum itaque pertinacia ini-
tium bello datum, quippe Rex cum va-
lido exercitu Vetus-Villam Marefcal-
lum ablegabat, dato negotio, ut Ru-
pellam ingrederetur, renuentibus au-
tem civibus rebelles ferro domaret:
cum autem incolæ Marefcallum recipere
detrectarent, hic vero aliunde mille

te, alioque apparatu ad inchoandam
 obsidionem necessario careret, ideo hæc
 expeditio non minus, ac priores, suo
 caruit exitu: verum Rex sinistro hoc
 successu magis exacerbatus suas copias,
 quas in Pictavia habebat, revocavit,
 Ligerim obsessurus, simulque Protestan-
 tes ab hujus fluminis transitu præpe-
 diturus, hinc sub idem tempus Tavan-
 nio præcepit, ut suas copias in Bur-
 gundiam duceret, Protestantium mo-
 limina exploraturus.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1568.

§. CXXVI.

*Condæus Princeps missa ad Regem
 sua Socru secedere paratus.*

Cum Condæus Princeps ex cunctis
 hisce machinationibus haud obscu-
 re colligeret, quod de eo unacum Ar-
 chithalasso in captivitatem redigendo
 consilia cuderentur, hinc de discessu
 cogitare cœpit, monito prius Colinio,
 qui Taulæum haud longe a Nuceto sese
 contulerat: antequam vero sese Prin-
 cept itineri accingeret, Jacobetam Roha-
 nam Rotelini Marchionissam Socrum
 suam orabat, ut Regem suo nomine
 adeat, eumque obtestetur, quatenus
 promissionum suarum & jurejurando,
 & edicto publico firmatarum jura vio-
 lari non sinat, neque permittat, ut pu-
 blicæ quietis hostes ipsius nomine; &

Thu. l. 6.
 Mem. de Ca-
 stell. l. 7. c. 1.